

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Speculum Quaestionum moralium, in universam Aristotelis philosophi summi Ethicen

Case, John

Francofurtum, 1597

VD16 C 1242

Cap. VII. - An benefici vehementiùs diligant quàm diligentur? [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-109038](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109038)

Resp.

Non negatur quin sit concordia in opinione, si communiter sumatur; sed proprie sumpta in rebus agendū potius versatur.

CAP. VII.

An benefici vehementius diligant quam diligantur?

An beneficentia rectè desiniatur?

TRITVM est perire quod facis ingrato, si verò bonis quid benefiat certè non perit. Qui benè merenti non pendit gratiam, illum (quod satis est) ingratum nomino. Vitam tibi Nero tua mater dedit, cur vitam tollis? cultum animi dedit præceptor, cur occidis? humanum quidem non est si accepto beneficio mens & manus obrigescant: canes, tigres, omnesq; immanes & truculentæ ferae agnoscunt beneficium, solus ingratus viperino prognatus semine nō agnoscit patronum. Sed hæc obiter: nam de beneficiis, nō de ingratissimis mouetur questio. Petit enim philosophus, An benè merentes magis diligant quam redamantur. Affirmat quidem eos magis diligere.

Hanc

Hanc assertionem primùm à simili probat: Nam vt creditores sperantes lucrum, suorum debitorum vitam & salutem optant: ita benefici expectantes gratiã suos alumnos vehementiùs diligunt. Huic rationi alia succedit non absimilis: quòd quemadmodum artifices suis ipsorum operibus, & poëtae suis ipsorum carminibus mirum in modum delectantur: ita benefici incredibili amore prosequuntur illos quibus arcam suã liberalitatis reseruarunt. Præterea cū is cui datur beneficium sit quasi opus bene merentis viri, quando hic gaudio afficitur in animato hoc suo opere adornando, facillè quidem dici nõ potest. Nam quamuis remunerationem quidem nõ expectat cum dederit, reflectio tamen voluntatis in memoriam benefacti mirificè reficit & cõsolatur, Beneficium enim dando accipit (vt ait Seneca) qui dignis dedit. Adhuc beneuolētis actio est honesta, acceptio vero beneficij solùm vtilis aut iucunda, sed honestum vir bonus vehementiùs diligit: ergo ardētius amat quam redamatur. Quid moror? amor beneficij est melior,

Beneficium accipit qui dignis dedit.

Qq 4 est

est longior, est constantior quàm accipientis redamatio. Est ergo melior, quia à virtute fluit: est longior, quia in mēte boni viri sedet: est constantior, quia aduersæ fortunæ ictu nō cadit, Postremò vt labore acquisita magis diliguntur, sicuti liquidò constat in amore matris erga filios (quos cum dolore peperit) ita quoniam laboriosius est benefacere quàm amari, non mirum est si bene merentes intentius diligāt: Labor enim & dolor rem dulcem & pretiosam reddunt. Altera, quæstio, nempe, An beneficentia rectè definiatur, vno verbo resoluitur. Est ergo beneficentia, vel motus appetentis animi ad benè merendū de illis quos diligimus: vel habitus voluntatis, quo mouemur ad benefaciendū alicui, cuius amore non sine prudētia & deliberatione capimur.

Quæst. 2.
Beneficentia
quid.

Distinctio prima quæstionis.

Probat q̄ benefic magis dil gat,	}	Similitudine creditoris bene optantis suo debitori.
		Comparatione artificis suo multū adscribentis operi.
		Comparatione matris, quæ labore susceptum filium ardentius diligit.
	}	Comparatione benefici qui bonum facit, cum alumno qui bonum accipit.
		Effe.

Effectu & fine, quia beneficus intendit bonum solidum, quod amatur propter se, accipiens verò intendit bonum vtile aut iucundum, quod amatur per accidens.

Distinctio secundæ quæstionis in calce suppositionis liquet.

Opp.

Consumere pecunias non est amabile: sed beneficus consumit: ergo non est amabile, quo concesso magis non diligeret.

Resp.

Non consumit sed utitur.

Opp.

Omne excellentius est amabilius: sed beneficus est excellentior eo, qui beneficio donatur: ergo est amabilior, & proinde magis diligeretur.

Resp.

Conceditur ratio, nō tamen sequitur, quod alumni suos Mecanates per se & primario vehementius diligāt.

Opp.

Beneficio cumulat us benè merēti gratiam & honorem (quæ sunt omnium externorum bonorum optima) rependit: ergo magis diligit.

Resp.

Hæc non sunt maiora bona quàm virtus, quæ beneficis in dādo beneficio respicit: nam hæc propter virtutem tribuuntur, præterea hæc ex occasione per accidēs accepto beneficio non primariè & per se persoluuntur.

Qq 5 CAP.